

aliitudine superarent. Cui Ego addo, hinc in his, doctrinarum, & sententiarum, ut in illa, lin-  
guarum confusionem exortam esse.

10 Quam pariter, post Romani Imperii declinationem, experta est Gallia, & alia Regna, &  
Nationes, quæ licet se ab eodem Imperio exemptas esse gloriuntur, ejusdem tamen legibus, ul-  
tra proprias, ac patrias alias, quas in plurimum habent, regi, judicarique, ac gubernari volue-  
runt. Inter quas nostra alma Mater HISPANIA, quæ si Straboni (f) fides habetur, jam tunc  
cum ille scripsit, qui Augusti temporibus proximus fuit, sex ante annorum millibus peculiares le-  
ges habebat, (quod qualiter intelligendum sit, Florianus de Ocampo (g) prosequitur) postea ab  
Abide Rege, qui fuit vigesimusseptimus post Thubalem, ante Christi adventum anno 1105. alias  
universales accepit, quæ toti multitudini deseruirent, & unicuique populo privatas, ac velut mu-  
nicipales, quibus Regi commodi posset, septem Cancillariis in septem Hispaniæ populis con-  
stitutis, ut idem Florianus (h), & diligens Garibajus (i) literis produnt.

11 Quousque tamdem Gothorum Regibus eadem Hispania potitis, quorum primus Athaulfus  
fuisse narratur, anno Domini 414. sive ut alii malunt 410. vel 424. procedente tempore, Euti-  
cus, qui ex eisdem Regibus Gothis VII. in ordine fuisse perhibetur, & regnare cœpit ann. 470.  
vel secundum Tarrapham (k) 483. novæ leges suis Gothis conscripsit, quas deinde Leovigildus  
ampliavit, & auxit, superfluae ressecavit, ut Rudericus (l) Archiepiscopus Toletanus, & alii (m)  
Hispanicarum rerum Auctores scribunt, & denique Sisenandus anno 634. Cancilii IV. Toletani  
approbatione, & D. Isidori Archiepiscopi ordinatione, in unum volumen congressit, quod Forum  
Judicum nominari voluit, quasi eo solo sui Regni Judices in causis decidendis usuros ostenderet.  
Quem tamen anno 666. sive incuria temporum, sive bellorum tumultibus ferè obliteratum,  
mutatis correctisque aliquibus legibus, & aliis additis, Recensuimus Rex in usum revocavit, &  
dem Ægica anno 693. non minori cura, additis mutatis multis, coactoque ad hoc Concilio  
Toletano XVI. in quo sexaginta Episcopi, & quinque Abbates intervenerunt, denò roboravit, ut  
pleni referunt Morales (n), & Mariana (o), eos reprehendentes, qui hunc Forum cum alio  
confundunt, qui dictus fuit, El fuero de Leon, & non injustè notantes, quæm brevi temporis spa-  
cio Hispaniæ leges bis pumicem passæ fuerint.

12 Quas iterum cum Witizæ Regis impietas, Ruderici vesania, & calamitas, quæ in His-  
paniam Mauros deduxit, in omnibus profanassent, & obliterasset, postmodum, ea recuperari  
cepta Weremundus II. Asturum Rex, mortuo Sancto patro, & Remiro consobrino, jure fac-  
tus (tradente eodem (p) Archiepiscopo Toletano, & alii (q)) anno 982 revirescere fecit, & li-  
beraliter confirmavit, Sanctorumque etiam Patrum canonicas sanctiones in rectam causarum decisio-  
nem servari præcepit. Sanctius autem post Ramirum, omnes has Gothorum leges penitus abolevit,  
si Mariana (r) fidem habemus, & Barcinonem, reliquias Europæ provincias sequutus, Justinianos  
Codices, modo quo Lotharius eos contexerat, anno 1068. in foro servari stricissimè præcepit.

13 Post quem nihilominus, his ut appareat, legibus insuper habitis, alia Secobrica latè fue-  
runt, & judicandi per facinora, sive exempla, per duellum, aut per arbitrium, pravi mores in-  
ducti, quos irrationalib[us], & Desaguisados Rex Alphonsus appellat in Proemio sui fori, quem  
ad eos tollendos, & averrucandos edi curavit, qui vulgo dicitur, El Fuero de las leyes; & alio  
nomine, El Fuero Castellano, forte ut ad illum alterum respectus haberetur, quem legionis  
antea datum, suprà retulimus. Hunc Forum hodie præmanibus habemus, cum commento Doctoris  
suo tempore celeberrimi, Alphonsi Diaz de Montalvo, priusque (ut ipse refert) alii scholiis illus-  
traverat Vincentius quidam, Episcopus Palentinus.

14 Quis verò fuerit Rex ille Alphonsus, qui illum compilavit? In dubium vocari potest,  
quoniam Alphonsus à Cartagena (s) insinuare videtur, Sextum hujus nominis fuisse, qui Toleta-  
nam urbem à Mauris recuperavit. Quod tamen probari non potest, quoniam hic solùm quosdam  
foros pro Toletanis civibus, & incolis edidit, ut in ejus Chronicis legitur, & latè, eos ad lite-  
ram referens, Garibajus (t) animadvertisit. Neque magis audiendus est Alter Scriptor (u), qui Al-  
phonsum VIII. ejusdem Compilationis Auctorem facit, anno sui Regni Octavo & Christi 1260.  
hoc enim nulla quoque ratione temporis serie, vel auctoritate probatur. Quare certius est, ad Al-  
phon-

(f) Strab. lib. 3. in princip. post Berot. lib. 5.

(g) Florian. in Chron. Gent. Hisp. lib. 1. cap. 9. Tamai.  
de Varg. ad Lutipr. fol. 98. Madera de excell. Hisp. fol. 60.  
& 61. Matienz. de leg. mut. cap. 17. in princ.

(h) Florian. lib. 1. cap. 15.

(i) Garib. lib. 4. cap. 30.

(k) Tarraph. de Regib. Hisp. in Eurico. Bassæus in  
Chron. ann. 410. Garib. lib. 8. cap. 2. Marian. hist. Hisp.  
lib. 5. cap. 6.

(l) Ruder. lib. 2. hist. Hisp. cap. 10. & 14.

(m) D. Isid. in Chron. lib. 2. cap. 26. Burg. in Anacop.  
cap. 16. Palentin. 2. part. cap. 9. Bassæus 1. tom. an. 483.

Morales lib. 11. cap. 35. Garibai lib. 8. cap. 11. Marian.  
de reb. Hisp. lib. 5. cap. 13. Matienz. de mutat. leg. diſt.  
cap. 17. fol. 98. Villadieg. latè in Proam. for. iud. D. Se-  
bast. Covar. in thes. ling. Hispan. verb. Fuerojuzgo, fol. 417.

(n) Moral. lib. 12. cap. 20. & 61.

(o) Marian. ubi supr. lib. 6. cap. 18.

(p) Ruder. Tolet. lib. 5. ver. Hisp. cap. 13.

(q) Marian. lib. 8. cap. 9. & alii ex supr. citatis.

(r) Marian. lib. 9. cap. 7. Matienz. diſt. fol. 99.

(s) Cartag. in Proam. sui Doctrinalis de los Cavalleros.

(t) Garibai lib. 11. cap. 21.

(u) Mich. de Herr. in Chron. Alph. Sapientis, cap. 5.

phonsum IX. referri debere, ut in ejusdem fori initio Montalvus insinuat, quem sequitur Hugo  
Celsus, & aperte testantur Reges Catholici Ferdinandus, & Elisabeth, in sui Ordinamenti Proe-  
mio, ubi sic inquit: *I porque despues de la mia loable, i provechosa ordenanza, i copilacion de  
las leyes de las siete Partidas, fechas i ordenadas por el Señor Rei D. Alonso IX. de loable memoria:  
el qual avia antes fecho el Fueno Castellano, que se llama de Leyes.* In quo tamen advertendum est,  
eumdem hunc Regem, Sapientem alio nomine dictum, secundum veriorem aliorum (x) supputatio-  
nem, non fuisse IX. sed X. hujus nominis, quam Ludovicus Molina (y) & alii (z) sequuntur. Quem  
etiam XI. Garibajus (a) juxta suum computum facit, hujus varietatis rationem adducens, quem  
quoad hoc pro multis allegare sufficiet.

15 Qui & ipse Rex, cum experiendo cognosset, hujus fori leges sufficientes non fuisse, quin  
potius illarum occasione plures lites, ac dubitationes enatas, alias statim vulgavit, quæ dictæ sunt  
*Del Estilo;* & hodie cum peculiari glossemate D. Christophori à Pace (b) circumferuntur, ut ipse  
in earumdem Proemio demonstrat. Et cum rursus, ne has quoque sufficere intellexisset, in animum  
induxit, magnum illud opus, à Magno Patre suo Ferdinando III. qui Hispalim cœpit, & Sancti  
cognomen promeruit (ut ipse refert) desideratum, serio aggredi. Et Justiniani Imperatoris vestigia  
sequutus, non solùm ius civile Romanorum, verum & Sacrorum Canonum sanctiones, reliqua-  
que antecedentes Hispania leges, quæ observatione dignas existimavit, in auream illam Epito-  
men sub aptis titulis rededit, & concinavit, quæ quia in septem libros dividitur, *Septem Parti-  
ta* (c) vocatur, multis præterea Sanctorum Patrum, & Veterum Philosophorum sententiis refertam,  
& illustratam. In qua quidem absolvenda, doctissimorum illius atatis Juris-Consultorum opera  
usus, septem integros annos consumpsit, & tandem bona quidem scæva, non solùm in illius Bar-  
bari adhuc seculi, verum & futurorum miraculum, illam vulgavit (d) anno à Christi Domini Inca-  
natione 1260.

16 Quod sane opus, licet non magni pendere videatur Rhenat. Choppinus (e), & simul  
etiam leges Visigothorum, quasi solam emulacionem Justinianei Codicis referant. Certius est, il-  
lum in multis excedere, & summopere laudabile omnibus recte sententibus visum esse, ut latè  
noster D. Gregor. Madera (f) prosequitur, post Covarruviam (g), Greg. Lopez (b), & alios, qui  
summum ejus studium, & utilitatem extollunt, licet non inficiuntur, Auctoris intentum fuisse,  
leges suas, ex aliis sumere, & ubi contrarium non expressit, juris Civilis, & Canonici rationibus  
se in omnibus confirmare (i) ut idem Covarruvias (k), & alii (l) testantur. Addo etiam cum  
Ludovicu Molina (m), in dubiis, eodem jure inspecto, questionibus, Azonis opiniones sequutum  
videri. Quod in causa fuit, ut aliqui existimaverint, Azonem ipsum eidem componendis inter-  
fuisse, quod falsum esse, benè idem Molina demonstrat, subjugens, conjectari licere, aliquem  
ex Azonis discipulis eidem collectioni operam navasse, vel clarissimos ejusdem temporis Juris-  
Consultos, quibus mandata fuit, Azonis sententias, tamquam solidiores sequitos.

17 Hos porrò Juris-Consultos, ut ego addo, non erit absurdum, ut duodecim cum illos Consiliarios  
fuisse existimemus, quos Primus Sanctus Rex Ferdinandus ejusdem Alphonsi Pater, pro sui  
Regni gubernatione paulo ante delegerat, à quo initium habuit Regius Senatus Castellæ, qui ho-  
die ita fulgere conspicitur, ut Garibajus (n) observat, inter quos forsitan ille Garsias eniuit,  
quem Tarapha (o). Alphonsi atque floruisse testatur, fuisseque luculentissimum legum explanato-  
rem, & super Decretales egregium opus composuisse.

18 Ceterum cum humana natura novas quotidie, ut Justinianus (p) ait, formas edere prope-  
ret, & ex novis legibus nova dubia emergere, & plura negotia, quæ vocabula esse soleant, ut  
alibi Ulpianus (q) scripsit, egregium etiam hoc septem Partitarum opus, efficere non potuit, quin  
ejusdem Alphonsi successores, novas alias leges, & foros promulgari oportere censerent, inter  
quos Alphonsus XI. qui Tarifam expugnavit, illas Compluti Era 1389. edidit, quæ vulgo Las le-  
yes, ó fuero de Alcalà vocari solent, & Petrus hujus filius, anno 1394. peculiarem illum, & satis  
notandum Forum, qui dicitur, El de los bijos de algo, & sic alii succendentibus temporibus, plu-  
res

(x) Hugo Cels. in repert. verb. Alphonso, verb. Fueno,  
fol. 171. & verb. Leyes, fol. 239. Olan. in pref. suarum  
Antin. n. 2.

(y) Molin. in prefat. ad lib. de primog. n. 21.

(z) Chronic. ejusd. Reg. cap. 9. Tarapha de Regib.  
Hisp. in Alphons. X.

(a) Garib. lib. 13. cap. 7.

(b) Paz in Proam. ad leg. Styl. num. 72. Matienz. diſt.  
cap. 17. fol. 10.

(c) Proem. leg. Partit. Molin. ubi supr. Garib. diſt.  
cap. 7. & cap. 9.

(d) Proem. Par. Mont. & Greg. Lop. ibid. Chron. ejusd.  
Regis fol. 86. Garib. diſt. lib. 13. cap. 9. pag. 202. Humada  
ad Greg. Lop. pag. 1.

(e) Choppin. de dom. Franc. lib. 2. cap. 15. n. 5.

(f) Madera de excell. Hisp. cap. 7. §. 2.

(g) Covart. in 4. Decret. cap. 6. §. 4. n. 3.

(h) Gregor. in repert. verb. Leges Partitæ.

(i) Idem Rex in Proam. Part.

(k) Covar. lib. 1. variar. cap. 14. num. 5.

(l) Gregor. in leg. 10. tit. 5. pag. 6. glos. 10. Gutier.

2. canon. cap. 5. n. 70. Mier. de maior. 1. Part. quest. 1.

num. 74. Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 41. n. 8. Parlad. 3.

tom. diff. 24. n. 7.

(m) Molin. lib. 3. cap. 7. num. 23. & 24.

(n) Garibai lib. 13. cap. 4. in fin. pag. 190. & cap. 9.

pag. 202. & seqq.

(o) Taraph. in Alph. 10.

(p) Justin. Imp. in Authent.

(q) Ulpian. in l. 4. de præser. verb.

tres alias leges, ac pragmáticas sanctiones, quas Alphonsus à Cartagena (*r*), Montalvus (*s*), & Hugo Celsus (*t*) latè commemorant. Quo tandem usque, sub felici Imperio Regum Catholicorum Ferdinandi & Elisabethae, anno 1491. prolatæ sunt illæ, quæ dicuntur *El Quaderno de las Alcavadas*, & anno 1499. alia ad lites breviandas, & forum judiciale pertinentes, quæ sunt dictæ *Las de Madrid*.

*19* Et hæ statim, & aliæ, Regum Antecedentium, quæ Reipublicæ utiles esse visa sunt, in Novum ordinamentum sub congruis titulis collocatae, de eorumdem mandato, curante dicto egregio Doctore Montalvo, ut ipse in ejusdem Ordinamenti p̄fatione testatur, quod postea à Salmanticensi Doctore Didaco Perecio peculiari glossemate donatum fuit.

*20* Post quod opus, cum dubia plura circa earundem legum intelligentiam & proximam, & materiam Majoratum, exorta fuissent, idem ipsi Regis Tolei agentes, post maturum doctissimorum virorum consilium, alias leges edendas statuerunt, quæ quia ipsis morte interceptis, ut in ultima (*u*) ipsarum narratur, Tauri à Domina Regina Joanna earundem filia, & Regni hæredæ publicate sunt, anno 1505. Taurinæ sunt appellatae, & à pluribus eruditis Doctoribus peculiaribus commentariis donatae.

*21* Et demum ædē ipsæ, & plures aliae, quæ sub eadem Regina, Carolo V. Maximo, & Philippo II. ejus filio, & nepote, subsequentibus annis late fuerant, ejusdem Philippi jussu, in novam aliam Collectionem, subtatis superfluis, & abolitis legib⁹, quæ in antiquis habebantur, redactæ fuerunt: anno 1566. exiūm hoc opus incipiente Lic. Petro Alphonso de Alcocer, prosequente Lic. Escudero, & denique perficiente Lic. Bartholomæo de Atienza, ut in Præfatione ejusdem Collectionis habetur, & Garibajus (*x*) enarrat. Quæ & ipsa Compilatio, nunc demum, anno 1640. de mandato gloriosissimi, & Potentissimi Regis, ac Domini nostri D. Philippi IV. quem Deus incolunem servet, novis typis; & pluribus legibus additis, quæ post priorem promulgata fuerunt, excusa conspicitur, eamē editionem, & additionem strenue curantibus, strenuis, Doctis, & Nobilibus Viris D. D. Lic. Josepho Gonzalez, & D. Ferd. Pizarro, Regius Consiliariis dignissimis, ut in pragmatice (*y*) eidem editione p̄fixa refertur, mihiq; ejus commentarii studio demandato, in quo si Deus cœptis votisque faverit, fore nec oleum, nec operam perdidisse videbimus. Ut nec nunc quidem, in hoc legum Hispanicarum progressu ab origine, & subcerta temporum serie, adeò latè enarrando, cum id, ita distinetè, à nullo alio factum esse comperiam, & in re, de qua agimus, satis ostendat, quantum hoc eximium Regnum sub tali, ac tanta suarum legum, & pragmaticarum mole labore, & laboraverit.

*24* Præstertim cum ultra eas, Justinianis quoque plurimum deferat, & in scholis legi, ac disci, & in foro allegari permittat, ut ex quadam lege Tauri, jam in novam Compilationem redacta, colligitur. Quæ tamen, (licet Pinelus (*z*), & alii contrarium perperam sentiant) non ita accipi debet, quasi in vim legis apud Nos civilia illa Romanorum jura allegari possint, hoc enim aliqualem subordinationem Regum nostrorum erga Romanum Imperium præferret, quam semper agnoscere detrectarunt, sed solum tamquam Doctorum, & Sapientium hominum documenta, ut eadem lex ostendit, & prudenter Gregorius Lopez (*a*), & alii (*b*) animadvertisunt, & pariter in Francia ex eadem ratione observari, quedam Decretalis (*c*), Baldus (*d*), Boerius (*e*), & alii Auctores ostendunt. Quod adeò verum est, ut signanter tradiderit Oldradus (*f*) quem alii (*g*) sequuntur, antiqua Hispanie lege, capitulū reūm esse, qui in litium causarumque decisionibus Imperiales leges adduceret, licet hoc hodie ita spretum, & oblitteratum videatur, ut nullas frequentius foras, & palatia Principum personent, & sep̄ plus eis, in dñ & aliarum Rotarum decisionibus, & communib⁹ Auctorum variiorum doctrinis, & opinioneib⁹, quam patrii nostris legibus à multis Advocatis, & Judicibus deferri soleat, cum tamen non nisi in harum defectum, aut supplementum dicta lex Taurina ad eas recurri permittat. Quod meritò notat, & reprehendit, atque ad vanum Advocatorum memorie ostentationem refert D. Gregorius Lopez Madera (*b*) Regius Consiliarius meritissimus.

*25* Eorumque facundiam, alioqui ab Imperatoribus Leone, & Anthemio valde laudatam (*i*), neconon eam legum, quam retulimus, multitudinem, tot lites in Republica generasse, ex quibus in eadem tot, ac tanta damna sentiuntur, passim omnes, qui bene sentiunt, agnoscent, & in eis

re-

(*r*) Cartag. in p̄fasc. doctrinalis.

(*s*) Montalv. in repert. verb. Leges Regni, fol. 66. & verb. Forus, fol. 49.

(*t*) Celsus in repert. eisdem verbis.

(*u*) L. fin. Tauri.

(*x*) Garibai lib. 13. cap. 9. pag. 202. & seqq.

(*y*) L. 1. Tauri, quæ est hodie l. 2. tit. 1. lib. 2. Recop.

(*z*) Pinel. in Rubr. de bon. mal. 2. part. n. 12. Ant. Gom. Cifuent. & Burg. de Paz in dict. l. 1. Taur.

(*a*) Greg. per text. ibi in l. 6. tit. 4. part. 3. gloss. 2.

(*b*) Gab. Vazq. in l. 4. 2. tom. 2. disp. 153. cap. 2. n. 15.

Mader. de excell. Hisp. cap. 7. §. 2. fol. 62.

(*c*) Cap. super specul. de privil.

(*d*) Bald. in leg. nemo, C. de sent. Puteus de syndic. verb. Testis.

(*e*) Boer. de auct. Mag. Cor. & in Pref. ad glos. leg. Longib. vers. Licet in hoc.

(*f*) Oldrad. cons. 69. num. 6.

(*g*) Greg. Lop. & Mader. supr. Palac. in cap. per vestras, in introd. n. 19. Martha de jurisd. 1. part. cap. 26. n. 70. & cap. 28. ex n. 7.

(*h*) Mader. ubi supr. fol. 63.

(*i*) L. advocati, C. de advoco. divers. jud. latè Baez. de inop. deb. cap. 16. ex n. 148.

resecandas, cordatos quoilibet ac Prudentes Reges, ac Principes summum studium collocare debere, omnia jura (*k*) proclaimant, quæ cum Ego alibi (*l*) latissimè recensuerim, nunc pro multis allegare contentus ero nobilem legem (*m*) Regis nostri Joannis I. jam ab anno 1386. editam, quo nec legum multitudo, nec malitia hominum ita excreverat, in qua præcipit: *Los Oidores deben pensar quantas maneras se pueden catar, i quantas leyes se pueden bacer, para acortar los pleitos, i escusar malicias, i deben fazer dello relacion al Rei, para que él faga las dichas leyes, i las mande guardar, porque cumple al bien de su Reino.*

*26* Cujus legis Ego licentia usus, si quid in me est judicii, quod sentio quam sit exiguum, ultra plura alia, quæ in hanc rem Petrus Gregorius (*n*), Bobadilla (*o*), Navarretus (*p*), Zevallus, (*q*), & alii (*r*) comminiscuntur, non in novis legibus condendis, sed in tot ac tantis, ita variis, & sèpè contrariis, contrahendis, & ad brevissimum, quod fieri possit, numerum reducendis, hoc medium consistere arbitror. Nam quemadmodum tam scitum, quā certum est illud, quod quidam ex Comicis dixit:

*Orator improbus lues est legibus.*

Ita pariter negari non potest, ex earundem legum multiplicatione, easdem lites suscitari solere, & damnæ, quæ excusari nituntur, augeri, ut præter ea, quæ jam supra adducta, & ponderata relinqno, vel Platone (*s*) docente monemur, dum dixit, quod *Ubi plurime leges, ibi & lites, itemque mores improbi; & concordiam nunquam inter amantes cives servari posse, ubi mutua multæ lites judiciales sunt, sed ubi brevissime, & paucissime.* Et celebri alio Strabonis (*t*) documento, qui referens Zalecum illum Thurii olim paucas, & simplices leges dedidisset; sed sequitos, alias, per subtilitatem, & nimiam curam addidisse; ex quo factum sit, ut celebres magis, quā boni redderentur, sic addit: *Bonis enim uti legibus, non qui iis omnes sycophantas, aut calumnias carvent, & excludunt, sed qui simpliciter lati frumenti inherent.*

*27* Quod dogma *Oraculum* vocat, & aureis literis signandum esse dicit Justus Lipsius (*u*), integrum caput, quod de legibus scripsit, sic brevians, *Eas nec multas, nec item lites, probari.* Neque aliud videatur sensisse Quintilianus (*x*), qui postquam dixit, legem omnem, aut tribuere, aut adimere, aut punire, aut jubere, aut vetare, aut permittere, statum adiicit, quod *Litem habet, aut propter se ipsam, aut propter alteram, propter dubia nimis, quæ ex ipsis resultant, & captiosis hominibus scripti, & voluntatis statum ambiguum reddant.* Ægyptii quoque litium immortalitatem designare volentes, quam plerunque legum multitudo, & obscuritas causat, anguem depingebant, qui multiplici flexu se ita convolvit, ut ejus finis, vel extricatio vix cognoscatur: quod Hieroglyphicum aptè in rem nostram deduxit Petrus Costalius (*y*), in uno ex suis Pegmatis inquietus:

*Volvitur inter sese, rursusque revertitur ad se*

*Serpens, nec finis flexibus esse potest:*

*Hec species expressa Fori est, hac forma Senatus;*

*Dum nequit heu minimiis litibus esse modus;*

*Quonque putas finem tantis instare querelis,*

*Auditur tibi lis, qui fuit una, duplex.*

Ubi idem Auctor merito in judices inveniuit, qui has dilations patiuntur. Parumque Christianum esse inquit, justitiam, quam jura omnia liberaliter, & in procinctu reddi voluerunt, iis apud nos angustis esse, ut neque gratis, neque pecunia, neque labore, tibi eam parare possis.

*28* Et in idem tendit illud Joannis Oveni (*z*):

*Lis genuit leges; legum lis filia; vivi*

*Non sine lite solet, nec sine lege potest.*

Adagium, *Lis item serit, & Noxa Noxam parit*, quæ ex Phocylide, Suida, & aliis deducit, & illustrat Erasmus (*a*). Et celebre Apophthegma Æneæ Silvii postea Pii II. felicis recordationis, qui ut Platina (*b*) commemorat, solitus erat, *Judicium & leges retia vocare, forum aream, litigatores aves Aequipes vero, earum Patronos, & Judices.* Sic prudenter ostendens, ex quibus lites oriri soleant, & quomodo his homines illaqueati, aliis in prædam cedant, & libertate ac propria vita, & substantia priventur.

*29* Quo ex dicto, præsens Emblema formavimus, & litium causas, & damnæ ob oculos Principibus ponimus, easdemque ut resecare, vel breviare satagant, admonemus, quas pestem præsennissimam, & bello pejorem in Republica esse, meritò tradit, & pluribus probat Marcus Antonius Petilius (*c*), eamē curam Regibus inter præcipuas injungens, & novissimus Stephanus Nat-

Ff then,

(*k*) *L. properandum, C. de jud. cap. finem liibus, de dolo & contum.*

(*l*) *Ego latè, post plures, quos refero 1. tom. lib. 3. cap. 3. ex n. 7. & 2. tom. lib. 2. cap. 29. n. 82.*

(*m*) *L. 7. tit. 1. lib. 2. nova Recop. leg. 1. tit. 4. lib. 4. ejusd. Recop.*

(*n*) *Petr. Greg. de Repub. lib. 18. cap. 5.*

(*o*) *Bobad. in Polit. lib. 3. cap. 14. ex num. 27. & seqq.*

(*p*) *Navarret. in disc. pol. 40.*

(*q*) *Zeval. tom. 4. in exhort. ad Advoc. ex num. 27.*

(*r*) *Larrea disp. 4. ex num. 8. Salgado de retent. Ball.*

2. part. cap. 3. ex num. 14. & novissimè Saaved. Emp. 21. & omnino Boccalin. cent. 1. reg. 72.

(*s*) *Plato lib. 5. de legib⁹.*

(*u*) *Lips. in monit. polit. lib. 2. cap. 10.*

(*x*) *Quintil. lib. 7. cap. 6. ad fin.*

(*y*) *Petr. Costal. in Pegmat. pag. 255.*

(*z*) *Oven. lib. 2. epigr. 60. pag. 58.*

(*a*) *Erasm. in Adag. pag. 479. & seqq.*

(*b*) *Platina in ejus vita.*

(*c*) *Petil. de muner. Princip. lib. 9. cap. 11. & seqq.*

then (d), qui justitiam in litibus vulnerari, probare contendens, plurima de earum damnis, dispendiis, & peccatis adducit, & inter alia, cuiusdam Idiotæ scitissimum dictum, qui illas Pulvinar diaboli appellavit, ut potè, qui priù homines ad ruinas, & discordias instigat, ac illis postea judicio contentibus, actis conscriptis insidet, & conquiescit, veluti jam certus, & securus damnorum gravium que peccatorum, qua partes hinc inde litigantes committunt, dum mutuis expensis, dissidiis, odio & rancore inter se concertant, & vivunt. Unde in Ecclesiastico (e) dicitur: *Abstine à lite, & minores peccata;* Et Imper. Justinianus (f), *Sapè lites materiam criminibus creare noscuntur.* Themistocles apud Alelianum (g) dixit, *Quod si dua sibi monstrarentur vi.e, una quæ ad Tribunal, altera, que ad inferos tenderet, libenter multò hanc, quām illam ingredetur.*

30 Et quemadmodum a Juris-Consultis (i) prudentes, & verecundi illi homines appellantur, qui lites fugere, & execrari solent: ita ex adverso, litigatores, viros malos appellari, & nihil esse tam simile actibus dæmoniorum, quām litigare, Redoanus (i), post alios, observat, qui latissimè probant, ex eisdem litibus Judices inquietari, Rempublicam ladi, partes expensis vexari, materiam criminibus aperiri, flagellum Dei, & veluti scupulos esse, ad quos plerique fortunatarum suarum naufragium faciunt. Quod non latuit Ciceronem (k), dum pluribus exaggerat, *Solicitudinem, & periculum litium.* Senecam à Baldo (l) relatum, qui prudentissimè dixit: *Cum pari contendere, anceps est, cum superiore furiosum; cum inferiore sordidum.* Martialem (m), qui uno in loco eas, *Amaras* appellat, & in alio, *justè miserum & dementem* eum vocat, qui in illis, sub dubia victoria spe, vitam atque opes consumit, sic inquiens:

*Lis te bis decime numerantem frigora bruma.*

*Conterit una tribus, Gargiliæ, foris.*

*Ab miser, & demens; viginti litigat annis*

*Quisquam, cui vinci, Gargiliæ, licet?*

Quod Domitius Ræderus, & alii, ita etiam explicare solent, quasi dicere Martialis, prudenter quidem eum esse, qui in suum inducit animum liti cedere, & se victum fateri, quām eam ad tot annos ducento, admittere, aut quamvis vincat, plus ferè in tam longo litigio impendisse, quām postea viator accipiat.

31 Quam expositionem, lièt ipsi nihil in ejus confirmationem adducant, mirè illud Salomoni (n) corroborat, *Honor est homini, qui separat se à contentionebus, omnes autem stulti miscentur contumeliis;* ubi Salazarus optima verba Musolinii (o) apud Stobæum in idem expendit, & est expressius, & nobilis multò Christi Domini documentum, dum apud D. Matthæum (p) ita consuluit, *Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium.* Et iterum apud Lucam (q): *Et ab eo, qui afferat tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.* Quod planè consilium, non solum ad spirituale commodum respicit, verū & ad temporale etiam, cum si quis item, quamvis injuste sibi motam prosequi velit, cum pallio, quod ab ipso exigitur, tunicam etiam in litigii expensis amittet, & ab Aucupibus nostri Emblematis, si forte vivus, omnibus tamen privus abibit. Unde præclarè Terentius (r) dixit: *Etsi facta mibi injuria est, veruntamen Potius quām lites sèctor, minas quinque accipe.*

32 Et idem Martialis (s) Sextum hortatur, ut quod verè debet, vero magis creditorū statim solvere velit, quām illud ipsum, & plus, in litigio injusto consumere, & dum unum creditorem vult subterfugere, plures habere, simul hanc de qua querimur Judicium & Advocatorum rapacitatem his verbis insinuans?

*Et judex petit, & petit Patronus.*

*Solvias censeo Sexte creditorū.*

Quod æmulari volens Modernus Anglus (t), non minus ingeniosè sic in litigiosum debitorem scripsit:

*Quæ tua nequitia est, quod debes non mibi solvis;*

*Solvabis Causidico: quæ tua stultitia est.*

Et iterum, alludens ad id quod vulgo olim & hodie circumferri consuevit, non esse victorem, cui jura favent, sed cui judex; & idem in eorum tantum, & Advocatorum, ac Procuratorum certum commodum cedere, sic habet (u):

*Certa tibi lex est, lis est incerta clienti:*

*Tu lucri, danni certus & illi sui.*

Con-

(d) Natthen in *justitia vuln.* part. 2. tit. 2. cap. 1.

(e) Eccles. 28. 10.

(f) Alelian. de var. hist. lib. 9. cap.

(g) L. properandum, C. de judic.

(h) Cap. 2. de verb. signif. lib. 6. l. 4. D. de alien. jud. l. 3.

§. tametsi, de arb. l. servus 19. de oblig. §. aīl. l. 1. C. de novo

Cod. latè Cotta, verb. *Lites citi,* Sylv. nupt. lib. 6. ex n. 8.

(i) Redoan. de sym. 2. pars. cap. 31. d. num. 9. latè Pena

in l. libris, C. de agric. Tiraq. de retr. lib. 1. §. 8. glos. 7.

ex num. 20. & Scacc. de appell. quart. 15. ex num. 188. §.

243. Forner. in l. 143. de verb. sign.

(k) Cicer. pro Client.

(l) Bald. cons. 218. num. 1. lib. 3.

(m) Mart. lib. 12. epigr. 69. & lib. 7. epigr. 64. Consonat Ovenus epigr. 67. pag. 226.

Lis penderi tibi polle?

Semel tibi penderi prestat,

Quam pendere diu: solve, solutus eris.

(n) Proverb. 20. 3.

(o) Muson. ap. Stob. term. 19. de patient.

(p) Matth. 5. 40.

(q) Luc. 6. 29.

(r) Terent. in Phorm. 2. scen. 2.

(s) Mart. lib. 2. epigr. 13.

(t) Ovenus lib. unic. epigr. 80. pag. mibi 108.

(u) Idem Ovenus.

33 Consonans nimurum cum illo Petronii (x),

Ergo judicium nihil est, nisi publica merces,

Atque eques in causa quā sedet, empta probat.

Et cum sententia Chilonis, inter septem Sapientes relati, quondam Delphis, ut post Plinium (y), Tholosanus (z), & alii (a) referunt, consecrata, nempe Comitem æris alieni, atque litis, esse miseriam. Solosque hos, quos dixi, ex litibus vivere, & ditari consuēsse. De quibus cecinit Poëta,

Ære Patrocinium vendunt, producere causas,

Et lites pendere diu, vindemia quedam est.

34 Ad quæ etiam damna respiciens Nevizanus (b), ultra alia, quæ in eorum detestationem adducit, Judices hortatur, ut partes ad concordiam suadere positi, quām ad litigandum studeant, & in memoriam notabile illud munimentum revocat, quod scriptum esse inquit in lapide marmoreo penes scalas, per quas ascenditur Palatium Broleti Mediolani, *Quod in controversis causarum, corporales iniurias oriantur, fit anxiissim expensarum, labor animi exercetur, corpus quotidie fatigatur, multa, & in honesta criminis deinde consequuntur, bona, & utilia opera postponantur, & qui sèpè credunt obtinere, frequentius jus succumbant; & si obtinent, computatis laboribus & expensis, nihil acquirunt.* Quod eleganter etiam dixit Cassiodorus (c), Judices admonens, ut his damnis & expensis modum adhibeant his verbis: *Prætere conventionibus se gravari omnimodis ingemiscunt: ut ad judicium deducendi, penè tanta videantur amittere, quanta vix probantur addicti dispensia sustinere.* Vocatio enim *Judicis spes justitiae debet esse, non nullæ: nam ipse* Index suspectus redditur, ante cuius audientiam gravamina sentiantur.

35 Et Salva Bonorum (quos plures esse non dubito) existimatione, idem Cassiodorus (d) malorum Judicium, Advocatorum, & aliorum, qui ex litibus vivunt, imposturas, ita describens: *H̄i sunt, qui causas protendunt adhibiti, impedirent pretermitti, fastidiant arbitrii, obliscuntur locupletati.* *H̄i sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, depitant arbitrios, dictata convallunt, attrahunt litigatores, protrahunt audios, per plicas inextricabiles retrahunt transigentes, &c.* Cui similis Rodericus Zamorensis (e) Episcopus: *Ubi Advocatorum (inquit) turba strepit, ibi litium anfractibus tota civitas ardet, nec domus aliqua à litigio vacat; de pace non cogitant, qui cum bello lucrantur, alienas cupiunt controversias, & propinquorum causas excagitat, qui suas non litigat, &c.* Noster Bæza (f), qui & ipse Advocatus fuit, & fori malitias optimè calluit, inquiens, quod indocti, & iniqui advocati, canibus quām hominibus propriores, per fas & nefas lucelum parant, patrocinium enim non æquitate, sed pecunia metuntur, & sunt publicis latronibus nocentiores, impune enim, & cum imperiæ plebis laude, in medio foro latrocinantur. Alter Bæza Theologus (g), docens: *Hanc esse communem in forensibus hominibus malitiam, que omnia ferè judicia, & tribunalia pervadit, ubi cause protrahuntur, dilatantur in sumnum incommode litigantium, & Officiale, & Ministri justitiae, auctiores inde preadas faciant.*

36 Unde ejusmodi homines Ludovicus XII. Gallia Rex, Paulo Emilio (b) testante, Sutorum artificium sibi vindicare dicebat, quia quòd sutoris proprium est, alatum dentibus producere, hoc etiam illis in dilatandis litibus, Prudentiumque responsis, & Cæsarium legibus. Et Apulejus (i), eosdem, Forenses rabulas, togatosque vulturios appellavit, quod litigantes soleant evicerare. Ex duo dicto Schoonhovius (k) in malos Causidicos, hoc Emblema formavit:

Forenses Rabulas vocavit ille Inter hos tamen interest, & illos,

Togatos bene vultures; sed illud Quod cadaveræ vultures morentur,

H̄i vivis quoque detrahant cruentem.

37 Eaque propter illi semper laudanti, & felicissimi habiti sunt, qui se numquam litibus implirunt, ut semel & iterum de se ipso testatus Martialis (l), dum dixit: *Lis nunquam, Toga raro. Sit nox cum somno, & sine lite dies.* Et Ausionis Gallus (m), qui Patrem suum ita loquentem inducit:

Litibus abstinui, non auxi, non minui rem:

Judice me nullus, sed negue teste perit.

Quo Disticho, ut Bejerlinchius (n) refert, Abrahami Ortelii peritissimi Cosmographi tumulum, in Epitaphii Mnemosynon, Justus Lipsius coherestavit.

38 Eademque ratione Plinius (o), cum Trapobanem insulam, & Antichtonem gentem felicissimam describeret, dixit, apud eas, neque fures, neque lites ullas esse. Quod etiam in detectis à se Occidentalibus Indiarum Regionibus Christophorus Columbus, & alii ex primis earum conqueritoribus summoperè desiderasse, Gundesalvus Illescas (p), Gomara (q), Antonius de Herrera (r), & alii Auct-

Fff 2

(x) Petron. in satyr.

(y) Plin. lib. 7. cap. 32.

(z) Tholos. de Repub. lib. 1. cap. 6. num. 14.

(a) Brusson. ex Stob. lib. 3. cap. 27.

(b) Nevizanus. in sylo. nupt. lib. 6. ex num. 8.

(c) Cassiod. lib. 9. epigr. 19.

(d) Cassiod. sup. Psalm. 73. vers. 10.

(e) Roder. Zamor. in spec. vita, cap. 18.

(f) Bæza. de inop. debit. cap. 16. num. 147.

(g) Bæza. Theol. sup. Luc. cap. 18. tom. 4. de jud. iniq.

(h) Bæza. in ejus vita.

(i) Apul. de asin. aur. lib. 10. vide eund. Apol. 1. & Erasm. in Adag. Malibro res Reip. patis. pag. 382. Ascast. de Æsar. pag. 92.

(k) Schoonb. Embl. 34.

(l) Marti. lib. 10. epigr. 57. & lib. 2. epigr. 90.

(m) Ausion. Edill. 2.

(n) Beyerl. verb. Lis, pag. 222.

(o) Plin. lib. 6. cap. 22.

(p) Illesca. in histor. Pontif.

(q) Gomar. histor. Ind. 2. part.

(r) Herrera. decad. 2. lib. 2. cap. 4. pag. 43. & alii apud

Me 2. tom. lib. 4. cap. 3. num. 1. & 2.

tores entrant, idèque instanter à Catholicis Regibus expostulasse, ne ullo modo ad eas Advocati, & causarum Procuratores transire permitterentur, ut sic damna juriqa cessarent, quæ ex eorumdem colluvie in Hispania, & aliis Nationibus experiebantur. Quod eis, aliquibus Regis (s) ordinationibus concessum sit, easque valde ab Apolline in Parnaso approbatas, laudatasque esse, lepide recenset Trajanus Bocalinus (t), plura alia de eisdem dannis expendens. Institutum tamen Lacedæmoniorum omitens, qd, ut Nicol. Cratius commemorat; Oratores nullos esse in sua Republica sinebant, & orationem omnino paucis comprehendendi jubebant.

39 Quæ etiam in causa fuerunt, ut jam suo tempore Columella (u) conqueri potuerit, latrocinium Advocorum, pro nocentibus, & innocentibus advocantium, permitti intra mœnia, & in ipso foro; & Senecalicere: *Juridici, velut canes acerrimi, non nisi oblati cibo mansuecunt.* Et alibi: *Hec tot millia ad foro prima luce properantur, quin turpes litæ, quanto turpiores advocatos habens.*

40 Et ut multi Prudentes, Principes, & alii cordatissimi viri, tum in nostra Hispania, tum in Gallia & alibi, de legibus resecandis, & in Epitomem redigendis, simulque de breviandis litibus, Advocorumque, & Procuratorum technis, & protelationibus cohibendis, variis temporibus cogitaverint at præter Justinianum, & suprà relatos, Vespasianus, Carolus Nonus Rex Galliæ, Alphonsus Aragoni I. & alii, quos latè Justus Lipsius (x), Marcus Antonius Petilius (y) & Stephan. Natthenus (z) ommemorant. Exemplum Turcarum simul adducentes, apud quos litæ omnes, sive civiles, sive criminis, eodem ferè die, quo in judicium deferuntur, terminari solent, ut & in Æthiopia, sub Potentissimo illo Principe, quem Prete Joannem vulgo vocamus, ubi nullis scriptis legibus Respublica regitur & litæ ex bono, & æquo brevissimè deciduntur.

41 Sunt quoque lectu admodum digna, quæ circa hoc idem desiderium Hieronymus Paulus (a), post alis à se relatos, & Joannes Boterus (b) scribunt. Et melius adhuc Philippus Cominæus, loquens de Ludvico Galliæ Rege XI. quem inquit: *Voluisse per omnem Galliam leges, & consuetudines omnes ad eam normam conscriptas, in volumen aliquod redigi patrio sermone, ad evitandas fraudes, & expiatione Advocorum, quæ majores profectò sunt in Gallia, quæ in quævis alia regione, que nibi nota sit.* Ane hoc ipsum tota fere nobilitas liquido testari potest. *Quod si longior ei vita contigisset, nec immo fuisse usus valetudine, magno quodam beneficio Galliam affecisset, quam sane plus, quam è suis majoribus ullus alius afficerat.*

42 Idem etiam in voto fuisse videtur Henrico Regi ejusdem Galliæ hujus nominis III. cuius jussu magnuille Juris-Consul Barnabas Brissonius jus omne Romanum, & Gallicum in unum volumen Codicavè rededit, quem *Henricianum* vocavit, qui tamen receptus non fuit, quoniam ante ejus confirmationem, tam jubens, quam exequens, horribili fato à rebus humanis exempti fuerunt, ut latius Antonius Mornacius (c) recenset, licet hic Codex postea sub nomine Henrici, ejusdem Galliæ Regis IV. curant Thoma Cormero Alenconio, typis mandatus esse videatur Lugduni ann. 1602. & dignus quidensit, ut in ipsius imitationem similis alius in Hispania Nostra tentetur. Quod tempore Regis, ac Domini nostri Piissimi Philippi III. instanter petiti, & multis rationibus fieri debere suasit Licentius Luus de Daza (d), non malè docto libello ad hoc exarato, in quo qualiter innumeræ leges de contraibus, Testamentis, & Majoratibus agentes, ad paucissimas easque brevissimas reduci possint, ahibus exemplis ostendit.

43 Eademque rerum Forensium experientia, in quibus per tot annos Doctissimus Antonius Faber (e) veritus fuit, & communis querela de litium, & criminalium, & civilium diuturnitate, quæ litigantes tot infraibus vexat, ac tot sumptibus fatigatos miserè afficit, illum coëgit, ut à Principibus, aliisque Legislatoribus, qui litæ exercantur, & bono publico favere desiderant, summis votis exposceret, ut in es resecandas, & breviandas omnem curam, & industriam adhibeant, quædraginta articulos, sive cautioes, quibus hoc consequi possit, satis prudenter adducens. His Articulis addi poterunt alii, qui magis rem conducere, videbuntur, neque de salute desperandum, tametsi morbus adeò altas radices esse videatur. Nam ut præclarè Seneca uno in loco (f) dixit: *Multa non audemus, quia difficultia, quæ quidem idè sunt difficultia, quia non audemus.* Et in alio (g): *Mali Medici est, desperare, ne curet.* Idem i his, quorun animus affectus, facere debet, cui credita salus omnium est. Non citò spen projicere, nem mortifera signa pronuntiare. *Luctetur cum vitiis, resistat, aliisque morbum suum exprobret, quosdam nlli curatione decipiat, ciuius meliusque sanatur iis remedii.*

## EM-

(e) Ordin. ad Non. Guzman. dat. Matri. 5. April. ann. 1528. Calle apud Herrer. ubi supr.

(f) Occalain. cent. 1. cap. 79. pag. 387. vide Just. Lips. in Polilib. 2. cap. de justitia, in fin. Cotænum de jur. & offic. v. cap. 9. Carranza de partu, cap. 2. num. 243. pag. 122. & Dels. in notis ad Seneca Tragad. 2. tom. pag. 230.

(g) Colum. de re just. in pref.

(x) Lips. d. lib. 2. cap. 10.

(y) Petili. lib. 5. cap. 11. & seqq. & lib. 9. cap. 11 & seqq.

(z) Natthen. 2. part. iii. 2. cap. 1. & seqq. Illesce. in bis-

tor. Pontif. 2. part.

(a) Hier. Paul. in præf. Cancel. fol. 54.

(b) Joan. Boter. de rat. stat. lib. 1. cap.

(c) Mornacius ad Codic. pag. 3.


(d) Lupus de Daza in libello de Crys., sive judicio legum, que penes me habebo M. S.

(e) Anton. Fab. in Cod. Fabr. 2. tom. lib. 9. tit. 22. ex pag. 598. ad 603.

(f) Senec. epist. 104.

(g) Idem lib. 1. de clement. cap.

## PARETO LEGI, QUISQUIS LEGEM TULERIS.



*Principis Ausonii, Princeps Prætorius arma  
Digna Trajano voce notata capit,  
Hoc si fas servem, pro Nobis utere ferro,  
Sin minus in Nostrum prælia stringe caput.  
Firmius haud aliter, Princeps, sacra jura parabis,  
Quam dum te subditis legibus ipse tuis.*

## COMMENTARIUS.

*S*tis superque de legum necessitate, & utilitate dixisse videmur, sed adhuc non ociosè adjicere possumus, Reges & Principes, qui strictiorem earumdem observantiam in subditis exoptant, nihil urgentius, & efficacius, ad hoc consequendum edicere, vel efficere posse, quam si se ipsos illis subdidierint, & in maxima libertate, minimam licentiam ostenderint. Certè enim certè sic est, exasperat homines imperata correctio, blandissimè jubetur exemplo, & ut verbis Claudiani (a) loquar,

*Tunc observantior æqui  
Fit Populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum  
Auclorem parere sibi.*

Quem sequi etiam videtur Sidon. Apollin. (b) dum dixit:

*Cetera tunc paret,  
Turba libens, servit propriis, quia legibus auctor.*

(a) Claudian. in 4. Cons. Honor.

(b) Sidon. carm. 5.

Et

Et Sanazarius (c) :

*Publica nimurum salus tunc sibi constat, & aequum  
Imperium, cum Rex, quod jubet, ipse facit.*

2 De quo tametsi plura congesserim supra (d), ubi Principem sui populi speculum feci, & Sceptrorum imitationem potentissimam esse dixi. Nunc tamen præcissius circa legum observationem insistentes, præsens Emblema cedendum, atque edendum, sive addendum, è re esse censi, quod ex historia Trajani Imperatoris, inter Romanos celebratissimi, sumitur, quam post Dionem Cassium Nizæum, & Xiphilinum (e), alii plures Auctores (f) enarrant, qui inquit, quod cùm Præfecto Prætorio gladium tradaret, quo accingi eum mos erat, illum strinxit, & nudatum tenens, sic dixit: *Cape istum, et si redi imperia vero, pro me, si aliter, contra me eo ad interitum utere.* Quamvis alii (g) dicant, quod id dixi Licinio Sura, quem quidam, ut Cæsar insidiatorem, indicaverant.

3 Et ad hanc historiam absque dubio respexit Plinius Junior (h) in Paegyrico ejusdem Imperatoris, dum inquit: *Ego etiam in me, si omnium utilitas ita posceret, iam Præfetti manum armavi.* Quo loci, meritò Justus Lipsius (i) in notis, miratur, factum ade insigne, & immortale, verbis ita paucis tactum fuisse; cum campum præstaret, in quo tantu Orator, qui minoradiducit, exultare posset; nec deceret tam auream vocem, & sensum, tam rido, & proprio stylo tantum stringi.

4 De more autem tradendi gladii Præfecto Prætorio, & quid per hanc traditionem significatur, qui plura voluerit, Adrianum Turnebum (k), & Petrum Fabrum () legere poterit, & Doctiss. Savaronem (m) in illud Sidonii,

*Ipsi etiam strictum commiserat Ulpius Ensem.*

Et plenius ceteris Nostrum D. Garsiam Cornelium D. Jacobi Equitem, in sis doctis Scholiis ad Gongoram (n), circa illum versus,

*Quando à la pompa sucedia el decoro*

*En Estoqe desnudo, en Palio de oro.*

Quibus addo Olaum Magnum (o), signanter tradentem, Fidei integritatem in externis Regiis Auxiliis Gothiæ, & Sueciæ, numquam meritos esse, nisi qui strictum gladium, vi pugionem, per cuspidem, Principis manu, & munere, Fidelitatis juramento præstito, suscepient, ne capulo sumptuoso, ipsum gladium retrorqueant, in viscera porrigentis. Quam consuetudinet notans Nicol. Causinus (p), duos, inquit, sensus admittere posse: vel enim Fidem erga Princeps commendat, vel ipsa Principum dona lubrica, & periculosa ostendit, ut quæ adversum mucoem, & pro munere poenam intentent accipienti.

5 Porro, ut ad Trajani vocem redeamus, ex ea symbolum sumpsit Jacobus Stuartus Scotiæ Rex, ut tradit Oftavius de Strada (q), intento in Regiam Coronam mucroni cuspide, cum lemmate, *Pro me, si mereor en me.* Et valde ei convenit vulgatior alia, sed seipso memoria teneenda Imperatorum Theodosii, & Valentiniani, qui peculiari lege sanxerunt (r) *Dignam esse vocem Majestate Regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri.* Adeò de auctoritate juris nostra (inquit) pendet auctoritas; & re vera majus Imperio est, submittere legibus Principatum; & Oraculo præsentis editi, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus. Quam legum paraphrasitice exponit D. Isidorus (s), & hoc carmine ligavit Guntherus (t),

*Nam nihil, ut verum fatear, magis esse decorum,  
Aut Regale putò, quām legis iure solutum,  
Spontè tamen legise se supponere Regem.*

Sumptaque videtur ex Pitacci (u) Oraculo, quod pro lemmate (x) nostrum Emblematis fiximus, Parete legi, quisquis legem sanxeris. Ipsamque auro, & cedro dignam voat Dionysius Gothofredus ibidem. Et adeò similem aliam in nostro codem Trajano Plinius Junior (y) exaggerat, dum sedente Consule, ipse stans, in leges juravit, ut se stupere ad hoc factum fietur, & nulla non prædicatione dignum, *Fecisse Principem, quid privatum, Imperatorem, quid sub Imperatore, & simili Religione ipsum se legibus Cæsarem subjecisse, quas nemo Principi script, & non esse Principem supra leges, sed leges supra Principem, nibilque amplius sibi licere vniuersis, quām privatis.*

Ete-

(c) Sanaz. in Epigram. ad Feder. Neapol. Rege.

(d) Supr. Emblem. 28. & 19.

(e) Dio & Xiph. in vit. Trajan.

(f) Nicéphor. lib. 3. Eccles. hist. cap. 23.

(g) Aurel. Vitæ. Zonar. & alii.

(h) Plin. in Paneg.

(i) Just. Lips. in notis ad Paneg. Plin. vide etiam Petr.

Fab. 1. serm. cap. 3.

(k) Turneb. lib. 12. adv. cap. 6.

(l) Petr. Fab. 1. serm. cap. 3.

(m) Savat. ad Sid. carm. 5.

(n) D. Gars. Coron. ad Goz. 3. tom. pag. 442.

(o) Olaus lib. 8. cap. 7.

(p) Causin. in Polys. sym. b. 5. cap. 39.

(q) Stradi in Symbol. pag. 6.

(r) L. digna vox, C. de legibus.

(s) D. Isid. 3. sent. cap. 5. relat. a Grat. 2. in cap. 2.

dist. 9.

(t) Gunther. in Ligurino, b. 8.

(u) Pitacc. apud Ascon. in Et. Sapient.

(x) Vide Adag. Cedro digna.

(y) Plin. in Paneg.

6 Etenim, quod alibi generalius ab Ulpiano (z) scriptum comperimus, *Principem legibus solutum esse ad solas penales, vel caducarias, vel quod attinet ad coercivam earum vim restringi* debet, ut omnes, qui bene sentiunt, intelligunt (a): nam si naturalem rationem inspiciamus, & vim, qua ipsa dictante, dirigimur, aut honestatem, que in Principibus, quod ceteris majoribus, eò etiam major desideratur, semper tyranicum illud, *Licet, si libet horrete, & fugere debent, ut jam latè supra commonefecisti (b)*, & hoc pulchrius, & Regium cum Tragico (c) reputare, *Minimum decet licere, cui nimium licet:*

Et cum Cicerone (d) meminisse, *Non solum quantum sibi commissum, sed etiam quatenus permisum sit; nec non illud alterius Græci Poetæ,*

*Non fas Potentes posse, fieri quod nefas.*

Cui ratione plures alias ex divino, naturali, & civili jure petitas, Ferdinandus Menchaca, Francisco Suarez, Philippus Hoenonus, Gregorius de Valencia, Andreas Fachineus, Dominicus Sotus, Gabriel Vazquez, & alii Auctores adducunt, quorum dicta sigillatim Petrus Canonherius (e) expedit.

7 Unde & Symmachus (f), cum Imperatore Theodosio sermonem habens, illud certè multò elegantius esse dixit, *Principem legibus solutum non esse, sed videri, plusque apud eum justitiam, quam licentiam valere;* quod etiam Cassiodorus (g) his verbis sub persona Theodorici Regis exposuit: *Et quanquam potestate nostræ, Deo favente, subjaceat omne quod volumus, voluntatem tamen nostram de ratione metimus, ut illud magis aestimemur elegisse, quod cunctos dignum est approbare.* Et iterum (h): *Cum omnia possimus, sola credimus licere nobis laudanda.* In idemque tendunt alia iura (i) quæ docent, *Decreto Majestatem Imperatoris, eas servare leges, quibus ipse solutus esse videatur.* Salvaque Majestatis reverentia, non dedicarni sibi cum privatis jussus esse commune, nibilque amplius licere bonis Principibus, nisi quod licet privatis. Et Latinus Paccatus (k), qui merito Theodosium commendans, quod illam, quam tulit sanctionem (l), opere ipso veram rediderit, sic ait: *Quid tua intererat te Principem fieri, qui futurus eras in Imperatore privatus? Idem es, qui fuisti, & tantum tibi per te licet, quantum per leges licet. Unum tibi præstitit Principatus, ut certum haberemus omnes, etiam sub Imperatoribus aitis vivisse te legibus tuis. Nam qui nihil facit licenter cum potest, numquam volunt.*

8 Quos praëiens Plutarchus (m), sic, non minus eleganter, quām sapienter scripsit, *Quis ergo imperabit Principi?* *Lex omnium Regina, & mortalium, & immortalium. Non ea foris scripta in libris, aut signis sculpta; sed viva ipsius corde insita ratio, & semper cum eo habitans, & convivens.* Et Laetantius Firmianus (n) ex Cicerone, idem his verbis edocuit: *Est quidem vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat. Neque verò, aut per Senatum, aut per populum, solvi hac lege possumus.* Quod idem valet atque illud, quod alii tradere solent, nimirū, quoad Deum, qui Reges in ipsis Imperium habet, nullam eos exemptionem habere, eique peccare, & suorum excessum rationem, & poenam daturos, ut M. Antonius apud Xiphilinum (o) dixisse comperitur. Et D. Hieronymus de Davide loquens graviter docuit, sic illius Psalmum exponens, *Tibi soli peccavi. Ad quod Anglus etiam Poeta (p) allusit, dum dixit sub lemmate ejusdem Psalmi,*

*Subditus in legem peccat, Regemque Deumque:  
Rex peccat soli (Rex quia nempe) Deo.*

9 Et quantum hoc ad movendos subditos ad eamdem legum observationem expediat, optimè docuit Seneca (q), antiquorum Regum, aut verius Philosophorum, simulque Legislatorum sapientiam, & continentiam referens, & collaudans, in quibus pro summo erat Optimus, neque poterat potior esse nisi melior: *Tantum enim (inquit) quantum vult potest, qui se nisi quod debet, non putat posse, & officium erat imperare, non Regnum.* Et idem sentiens Cassiodorus (r), & quod ex jubentis exemplo jussorum exemplo auctoritas comparatur, Theodoricum Regem inducit, navigationi ita consulentem, ut etiam in prædiis Regalibus ascindantur ligna necessaria fabricandis apta dronomibus, hanc rationem adjiciens: *Volumus enim hoc exemplum à nostris prædiis in-*

(z) L. Princeps 31. D. de legib.

(a) Harmen. 1. §. 48. Cujac. 15. observ. 30. Corras. 2. misc. 25. Ant. August. de legibus, cap. 18. Mendoz. de padis cap. 5. ex num. 28. & alii apud Cened. in Collect. ad Decretal. 167. num. 5. novis. Berneq. ad Tacitum, quest. 52.

(b) Supr. Emblem. 28.

(c) Senec. in Troad. Beyerl. litt. V. pag. 221. & seqq.

(d) Cicet. in orat. pro Rab.

(e) Canonth. in Aphor. Polit. 1. tom. pag. 402. & seqq.

(f) Symmach. in orat. pro vet. Deor. cultu.

(g) Cassiod. lib. 1. epist. 12. idem lib. 10. epist. 16.

(h) Idem lib. 10. epist. 16.

(i) L. ex imperfecto 23. de leg. 3. & C. de testam. §. fin. Instit. quib. mod. test. inf. cum aliis.

(k) Pacat. in Paneg. ad Theod.

(l) L. ult. C. Theod. de appell. Novell. Anthem. de bon. vacanc.

(m) Plutarch. ad Princ. indoct. cap. 3.

(n) Laetant. lib. 6. divin. instit. cap. 8. ex Cicer. lib. 3. de Rep.

(o) Xiphilin. in M. Antonin.

(p) Joann. Oven. lib. 3. epigr. 51. pag. 70.

(q) Senec. epist. 90.

(r) Cassiod. lib. 5. epist. 18.

*incohare, ut nulli gravis sit jussio, que constringit & Principem. Et alio(s) in loco inquit: Opto meis bene, sed quod possit esse commune, quia magna injustitiae genus est, aliud sibi Judicem velle, quam potest generalitas sustinere.*

10 Quibus testimonii alia eruditè adjicit Dionysius Gothofredus (t) omnino legendus. Et eis addi possunt exempla Zaleuci Locensis, se, filiumque simul, ut sua legi pareret, oculo orbantis, Caronda Thuriensium Legislatoris, & Dioclis Syracusii, ob similem causam se ipsum interficiens; uxoris Lycurgi ab eodem damnata, quia adversus legem deliquerat, quam ejus vis fecerat, ne mulieres in festo mysteriorum curru veherentur. Manili Torquati, filii morte militarem disciplinam sibi illo antiquorem, & cariorem esse ostendit, & alia quæ Diodorus (u) Siculus, Valerius Maximus (x), & alii Auctores (y) latius enarrant.

11 Nec omittere possumus memorabilem consuetudinem Imperatoris Caroli Magni, qui, ut Egidius Carroetus (z) scribit, gladii capulo, cui insignia sua inerant, edicta signabat. Eiusdem enim esse dicebat, & confirmare, & defendere leges. Et insignia verba Philonis (a) Hebrei, qui egregie inquit: *Absurdum enim fuerit, eos in culpa hærente, qui jura præscribunt aliis: quandoquidem ab his potissimum exemplum vite petendum, sicut enim igitur, quemcumque admoventur calefaciens, ipse primam innata sibi vi calet; nis contraria, saepè natura frigida, infrigitat & alia: sic iudex ipse debet esse plenus justitia, si alius jus administratur est, à quo cœu fonte promanant fluentia dulcia legum, & potentia sitientibus justitiam.*

12 Quibus verbis mirè convenientia Cassiodori (b), & aliorum, quæ plenius suprà (c) transcripsi, & Philippi Camerarii (d) doctrina ab aliis Auctoriis (e) insinuata, qui licet Democratiā non probent, Regem tamen Monarcham, ita astrictum legibus esse volunt, ut Rex sit lex loquens, lex vero Rex mutus, id est, ut Rex & Populus communicato consilio communiter statuant, & pro viribus observare, & conservare studeant, quod ad omnium salutem communiter faciat. Prou & suo dicto ostendit Alphonsus Aragonius, cui, teste Panormitano (f), frequens in ore erat: *Ineptè agunt Principes, qui alii honestè beatè vivendi leges proponunt; ipsi vero nihil temperatores melioresse se præbent.*

13 Quod quidem adeò est verum, & necessarium, ut non solum in se, verum & in suis domesticis, & necessariis eamdem observationem legum, & morum integratatem, ob easdem rationes curare Principes debeant, ut idem Cassiodorus (g) sub persona Theodadi Regis graviter monuit, sic inquis: *A Domesticis incohare volumus disciplinam, ut reliquos pudeat errare, quando nostris cognoscitur excedendi licentiam non præbere. Qui & ipse, eidem monito insistens, luculentius adhuc, sic alibi (h) loquitur, Per milites suos Index intelligitur: & sicut discipuli Magistri scientiam produnt, sic nos obsequentium mores aperiunt. Præcepis non putatur observasse moderato; avarus non advertitur continent: stultus prudentibus servasse non creditur. Periclitamus fateor in actionibus vestris, si vos mala intentione tradetis, & quod nulli accidit vestrum, alienum vitium, nostrum celebratur opprobrium.*

14 Quo fit, ut qui clavum Reipublica tenent, in utroque foro pro factis, & dictis suorum domesticorum regulariter teneantur, ut ex Cicerone, pluribusque aliis Politicis, & Juridicis Auctoriis, latè alio (i) loco probavit; & optimè D. Prosperus Aquitanicus (k) docuit, sic inquis: Superior sanctè vivere debet propter exemplum, certus, quod ei nihil sua justitia suffragetur, de cuius manu anima pereuntis exigitur. Et quid ei proderit, non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato?

15 Extatque in hujus doctrinæ comprobationem, & magnæ, quæ ex eadem resultat utilitatis demonstrationem, optimum exemplum, quod, post alios, Justus Lipsius (l) adducit, de Justino Curapalate Imperatore Bizantii, qui cum quendam ex suis, Praefectum Praetorio, cum plena potestate in certum tempus constituisset, intra quod se urbis enormia sclera exterminaturum promisit, & primus ex ejusmodi delinquentibus, quidam ex illustribus, & validè ipsi Imperatori gratiosus Senator accusaretur, dum ipsius capturam gestit, illum apud Imperatorem conviviantem reperit; cui hæc libera verba profatus fuit; *Imperator juri dicunto Praefecturam à te habeo: & ab ipso te auxilium, & presidium merito sperabam. Num quid? Video his oculis homines palam injurios, & legum non fractores solum, sed spretores, aut illusores, in tua domo, gratia, mensa esse, ita-*

que

(e) Idem lib. 12. epist. 15.  
(t) Gothofr. in not. ad Novell. Just. 105. cap. 4. Colum. pag. mibi 412. & seqq.  
(u) Diodor. lib. 12.  
(x) Valer. lib. 6. cap. 5.  
(y) Rhodig. lib. 18. cap. 19. Torres in Philosoph. Princ. lib. 3. cap. 14. § 15.  
(z) Carroc. de dict. mem.  
(a) Phil. Jud. in lib. de Justice.  
(b) Cassiodor. lib. 1. epist. 4. lib. 6. epist. 21. & lib. 11. epist. 8.

(c) Vide supr. emblem. 29.  
(d) Camerar. 1. subcess. cap. 88. pag. 415.  
(e) Britan. ad Sueton. pag. mibi 223. & Tiraq. de pæn. temp. caus. 31. ex n. 38.  
(f) Panorm. lib. 5. de reb. Alphons.  
(g) Cassiod. lib. 10. epist. 5.  
(h) Idem lib. 12. epist. 1.  
(i) Ego 2. tom. lib. 4. cap. 9. n. 28. & 29.  
(k) D. Prospr. lib. 1. de vit. contemp. cap. 20.  
(l) Lips. in monit. & exempl. lib. 2. cap. 10. de legib. pag. mibi 205.

que signa hæc tibi babe irritæ potestatis, Ego abdico. Quibus auditis Imperator, mirari, & excitari ceperit. Et Tu vero (inquit) quod es, esto: & jus tuum, vel in me, quid ni meos? exercere. Duci si peccavi, sequor: *Duc si quis altus, & sequetur, aut trahetur. Quo accepto responso, Praefectus jam animo erector, oculos & manus in illum Senatorem conjicit, per apparitores renitentem etiam trahit, atque in judicio convictum, damnatumque, primùm verberibus afficit, tum & grandi pecunia mulctat. Hic ictus, qui tam validum illum concusserat, multos terruit; & in paucis diebus vim & vitam justitia recepit.*

16 Par quoque rectitudin in legibus servandis justitiae etiam in suis familiares administranda in Augusto Cesare, Ludovico Galliæ Rege, Erchimbaldo, & aliis eniuit, quorum exempla suprà (m) recensui. Et eximia in hoc, nostri Trajani virtus, tantum ei gloria, atque honoris parvit, ut de eo, inter plures alias laudes, dicere eximius ejus Panegyristes (n) poterit, *Senatum sub ipso, non ut antea, In Curiam ad certamen adulacionum, sed ad usum, munusque justitiae, veritatisque convenisse. Et Martialis (o), eundem zelum, eademque ferè Plinii verba, celebri illo Epigrammate immortalitati sacrate, quod suprà (p) in secundo Emblemate retuli, ibi: Sed justis simus omnium Senator.*

17 Unde in electione, & acclamatione sequentium Imperatorum Deos precabantur, ut illos Trajanos similes faceret, inquietantes: *Augusto fratricor, & Trajano probosior. Et Aurelius Victor, (q) ab Eminentiss. Baronio (r) citatus, solum Theodosium Magnum eo meliore ausus fuit affirmare. Tantumque eidem, ob eamdem justitiae & legum observantiam, aliqui tribuunt, ut Divum Joannem Damascenum (s) sequuti, seriò dicant, & ab aliorum impugnationibus defendere contentur, precibus intentissimis Divi Gregorii Magni ab inferis liberatum, & in cœlum translatum fuisse. Quod qualiter contingere potuerit, & intelligendum sit, ne Catholicæ Fidei repugnet, integro, satisque eruditio libello Fr. Alphonsus Ciaconius (t) Dominicanus prosequitur, & laudatis in eamdem rem D. Antonino, Cano, Soto, Egidio Romano, Navarro, Alesi, Revelationibus SS. Brigitæ & Mathildis, Bellarmino, & Eariquez, & aliis, tradit Rutilius Benzonius (u), qui omnino legendus erit.*

18 Et quamvis Joannes Diaconus (x) affirmet, Ecclesiam Romanam numquam hanc historiam receperisse, multosque non credere illam orationem, in qua narratur D. Damasceni esse, extente Auctores nonnulli (y), qui eidem Trajano gravia vita ebrietatis, Sodomiae, impietatis, & crudelitatis in Christianos, & alia objiciant, quibus suas virtutes spurcavit, & tali tamque singulari favore, & privilegio se indignum reddere potuit. Satis tamen ad accendendum zelum justitiae, & vigoris legum, in Christianis Principibus sufficit, quod vel in impio, tor adeò graves Auctores ejus salvationem ob hanc virtutem propugnant. De cuius etiam laudibus Tacitus (z) securiore, ubioremque materiam senectuti sua se reposuisse testatur; rara temporum felicitate, ubi sentire que velis, & que sentias, dicere licebat. Quod tamen opus, ut & alia ejusdem Auctoris, injuria ætatis nobis invidit, sed in ejus solitum Plinium, qui pro multis valet, habemus, & Eutropium, & Sextum Aurelium Victorem (a), qui de eo quoad hanc virtutem, de qua agimus, sic scripsit: *Trajanus justitiae, ac juris humani, divinique, tam repertor novi, quam in veterati custos fuit. Et extat novissime in ejusdem laudem non inelegans oratio. M. Zuerii Buxhornii (b), quam qui de eo plura velit legere poterit; ubi, inter plura alia, sic de eo, quod haec justitiae virtutem, de qua modo agimus scriptum reliquit: Prima etate vigilias, & cetera belli munia pari semper animi constantia exsequebatur, ut parere prius disceret, quam imperare. Mandatas sibi provincias pari justitia continuit, major privato, dum privatus fuit, & omnium consensu capax Imperii, nisi imperasset. Paruit tandem & Imperium accepit, non tam ut imperaret, quam ut decus & majestatem Reipublicæ tueretur, &c. In qua administranda bonorum (quod precipuum Imperii instrumentum) constitutis utebatur. Non quod eorum industria egret, sed quod ita in famam, & Rem publicam videretur. Fecit ut auctoritas Senatui, obsequium civibus, omnibus fiducia rediret. Habant boni innocentia vindicem. Inveniebant in illo mali, quod sequerentur, *Justa in omnibus judicia expletiv, nihil factum, quo cujusquam salus leaderetur. Sub eoque, ut olim procacitatis petulantiae, tunc modestiae, & virtutis certamen erat, &c.**

(m) Supr. emblem. 63.  
(n) Plin. in Paneg.  
(o) Mart. lib. 10. epigram. 72.  
(p) Supr. emblem. 2. num. 12.  
(q) Aurel. Victor. in Theodos.  
(r) Baron. an. 395. pag. 727.  
(s) D. Damascen. in orat. pro fidel. defuncti, & alii apud Larream decis. Granat. ult. 3. part. num. 67. ubi plures pro & contra congressi, Navarr. de orat. ex pag. 495. & Mour.